

Hic videmus imaginem, etsi cum magno meo dolore minus claram, Patris Reginaldi Foster, viri Latinis litteris doctissimi, viri Latinae linguae vivae peritissimi, oratoris optime Latine loquentis. Fortasse nonnulli vestrum iam aliquid de eo audiverunt. Infra vobis vitam eius brevissime narrabo. Pater Reginaldus Foster, in lingua Britannica Reginald Foster, monachus catholicus et sodalis religiosae familiae ordinis Carmelitarum discalciatorum est.

Sed, ut videmus in hac imagine, formam habitus religiosi ordinis Carmelitarum deposuit et semper vestimenta laica gerit, quae demissa caeruleaque sunt.

Ex anno millesimo nongentesimo undeseptuagesimo Foster sedi apostolicae et statui civitatis Vaticanae operam dat et munere interpretis et scribae Vaticani fungitur. Hodie officinae Litterarum Latinarum Secretariae Status Vaticanae, id est Secretariae Cardinalis a publicis ecclesiae negotiis, praeest.

In eius parvo conclavi sedis officii in domo Aposolica civitatis Vaticanae tantum mensa scriptoria et machina scriptoria antiquissima nomine Olympia sunt. Ibi Carmelita cum collegis suis, qui ex Italia et Polonia et Chilia et Civitatibus Foederatis Americae sunt, scripta, epistulas, tabulas, edicta, decreta, instructiones, litteras signo pontificis Romani impressas litterasque encyclicas papae, Curiae Romanae, Secretariae Status, congregationum, dicasteriorum consiliorumque pontificiorum cottidie in Latinum convertit. Etiam novissimae litterae encyclicae papae Benedicti decimi sexti, quae inscribuntur 'Deus caritas est', a his cultoribus et amatoribus linguae Latinae, qui a nonnullis actis diurnis Britannicis et statione emissoria televisifica BBC 'Latin-Lovers' appellati sunt, in linguam Latinam translatae sunt.

Quamquam Reginaldus Foster in civitate Vaticana clarissimus et omnibus civibus notus est, nonnulli periegetes Carmelitam propter vestimenta laica aut artificem electricidris aut distributorem benzini persaepe putabant.

Praeterea Foster est propugnator ardentissimus Latinitatis vivae et recentis. Anno millesimo nongentesimo undeseptuagesimo Foster missionem lunarem Apollinarem Latine descripsit et anno millesimo nongentesimo septuagesimo primo pugilatum inter Muhammad Ali et Iosephum Frazier. Propter hanc descriptionem Foster ab Ioanne Leone, qui tum praesidens Italiae erat, praemium accepit. Atque adeo in argentaria Vaticana vestigia Patris Foster videmus, nam automatam pecuniae solvendae salutat omnem emptorem his verbis: Inserite scidulam quaeso.

Foster omne recens verbum in linguam Latinam transferre potest. Ut exemplo utar, verbum Germanicum 'Faxnummer' 'numerus machinae nuntium scriptum per telephonium mittentis' significat.

Anno millesimo nongentesimo undequadragesimo Reginaldus Foster Milvauchiae in civitate Visconsinia natus est. Pater et avus suus erant artifices plumbarii. Sed ex decimo tertio aetatis anno nihil erat, quod Foster mallet, nisi quod sacerdos et monachus et vir Latine doctus fieri cupiebat.

Anno millesimo nongentesimo sexagesimo secundo Foster alumnus seminarii Romam venit et ex eo tempore in Teresiano, sede ordinis Carmelitarum Romae, quod prope montem Ianiculum est, habitat.

Ex anno millesimo nongentesimo septuagesimo quinto Foster docet linguam Latinam et Litteras Latinas in Universitate Pontificia Gregoriana Romana. Studiosi ex omnibus partibus orbis terrarum linguam Latinam ab eo discunt. Magister eorum etiam suam rationem docendi cum quinque gradibus difficultatis invenit.

Praeterea omni aestate mensibus Iunio et Iulio Romae Foster praeest seminario academico octo hebdomadam nomine 'Aestiva Romae Latinitas'. Exceptis solis diebus Foster cottidie per sex horas linguam Latinam docet et cum discipulis Latine loquitur.

Sed ex nonnullis mensibus Patri Foster controversia cum Universitate Gregoriana est, quod multi alumni studiorum universitatis, qui ab eo erudiuntur, tributa studiorum universitatis non pendunt. Itaque Pater Foster Academiam Romae Latinitatis nuper condidit, ut discipulos suos libere et solute docere possit.







